

domini nostri Merseburgensis auctoritate ordinaria nobis concessa dignaremur. Nos vero nolentes contra doctrinam apostoli dicto electo, manus imponere repentinas, proclamationem in dicto monasterio fieri publice fecimus, ut si quis esset, qui contra personam electi aut electionem ipsam dicere vellet aut se opponere, quod coram nobis die hodierno in ambitu ecclesiae Merseburgensis dicturus et allegaturus, quidquid dicere seu allegare vellet, legitime compareret; et quia nullus coram nobis oppositor aut contradictor comparuit, nos auditis intellectis et plene cognitis ac examinatis omnibus et singulis supradictis, deliberatione quoque nobiscum diligenti praehabita dictam electionem de dicto domino Petro de Radeberg factam, quam invenimus rite et canonice celebratam, auctoritate domini nostri Merseburgensis ordinaria nobis commissa approbavimus auctorisavimus et confirmavimus, approbamus auctorisamus et confirmamus in dei nomine per praesentes ipsumque dominum Petrum electum in praepositum dicti monasterii sancti Thomae in Lipezk praeficientes curam et regimen ac administrationem dicti monasterii liberam eidem committentes, recepta tamen prius obedientia ab eodem nomine domini nostri Merseburgensis, quam in nostris manibus praestitit solitam et consuetam, cum promissione nobis facta, quod dictum monasterium, personas et bona ipsius secundum posse suum regere velit diligenter. Mandantes igitur universis et singulis praedicti monasterii canonicis et personis in virtute sanctae obedientiae, quatenus ipsi domino Petro de Radeberg praeposito tamquam suo immediato et vero praelato humiliter obediant sibi que obedientiam debitam faciant ut est moris. In quorum omnium et singulorum evidens testimonium praesentes litteras maioris domini nostri Merseburgensis praefati sigilli appensione fecimus muniri. Datum anno domini millesimo CCCCXVI^o tredecima die mensis Maii in civitate Merseburgensi.

Nach dem Orig. in der Universitätsbibliothek zu Leipzig; das Siegel fehlt.

No. 195. 1416. 13. Juni.

Probst Petrus und der Convent beschliessen mit Genehmigung des B. Nicolaus von Merseburg eine Abänderung der bisherigen Bestimmungen über die Verwaltung des Dorfes Kleinpössna und treffen Bestimmungen über eine tägliche Messe am sogen. neuen Altar und über das Jahrgedächtniss der Katharina, Wittve Lamprecht Hutters und anderer Wohlthäter des Klosters.

Nos Petrus de Radeburg praepositus, Johannes Osmunde prior totumque capitulum monasterii sancti Thomae apostoli in Lipezk — recognoscimus et ad universorum — notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes, quod — de omnibus exactionibus pecuniarumque redditibus censibusque frugum videlicet siliginis et avenae aliisque proventibus pecudum pullorum ac aliorum animalium censualium quorumcunque, iuribus ac iurisdictionibus villae ac pagi dictae dy Wenige Pessen in districtu et limitibus advocatae vulgariter nuncupatae Nuwenhoffe situatae, prout haec in privilegiis desuper datis et confectis plenius continentur, titulo proprietatis